

uerius est, mutacione studiorum mutari respub.
Omnes autem mutationes rerum pub. ad magistratu-
uum curam pertinent. Et peruersa ratio discendi,
maximarum atq; optimarum rerum ruinam trahit,
Inprimis igitur in hac re uigilantes esse magistratus
oportet, Neq; dubito quin olim de his rebus nouas
leges condituri sint cū præsentes turbæ atq; motus
rerum pub. consulescent. Quibus utinam contingat
Dei beneficio, facilis et mollis κατὰ σοφίαν

Interim tamen quantum nos autoritate, studio
ac diligentia consequi possumus dabimus operam,
ut ordine discat Iuuentus.

Sed hoc magna ex parte in uobis quoq; posi-
tum est. Nos enim & diligenter hac de re adhorta-
mur uos, & lectiones optimas in omnibus discipli-
nis proponimus. Summa fide traduntur artes, quæ
continent rationem dicendi, Elementa philosophiæ
& mathematicum planissime proponuntur. In qua
Schola secundus liber Plinij tam perspicue enarratus
est ut hic enarratur? Reliquum igitur est, ne uo-
bis ipsi deesse uelit, sed præsentibus commodis
fruamini.

Quod quidem ut faciatis adducere uos de-
bet, cum ipsa cognitionis suauitas, tum etiam uti-
litas. Nam incredibilem uoluptatem parit elo-
quentia, Mire delectat homines historia rerum ges-
tarum